

in quoru solutionibus multa dicit, quæ ad alias quæstiones pertinent; de quibus nos etiam in nostris Articulis dicemus, prout ad illorum intelligentiam conducere videantur.

ARTIC. I.

An omnis prædicatio superioris de inferiori sit vera?

1. Argum.

RO parte negatiua sit primum argumentum: nam infra cap. de substantia quæst. vltima, inquit Doctor, quod substantia non prædicatur per se, nec vere, de partibus substantiæ: sed partes substantiæ sunt inferiora ad substantiam, vt patet:igitur, &c.

Secundum

Secundo, in tertio argumento probat Doctor hanc esse falsam; humanitas est animalitas: & tamen est prædicatio superioris de inferiori ergo, &c.

1. Not.

Pro intelligentia notandum primo ex Doct. in præsentis: ad primum eum dicitur & in primo, distinct. 5. quæst. 1. lit. G. & H. quod cum concretum, a concernendo, dicatur: quia, scilicet, præter formam, quam formaliter importat, concernit aliud: & hoc aliud sit, vel subiectum, vel suppositum, seu singulare; inde fit, duplex esse concretum: alterum, quod concernit subiectum, quod est alterius naturæ a forma significata: cuiusmodi sunt concreta accidentiam: vt album, dicitur albedinem, concernendo subiectum, qui inhæret: alterum, quod concernit suppositum, seu singulare, quod est eiusdem rationis; cuiusmodi sunt concreta substantialia: vt homo, quod dicit humanitatem, concernendo omne singulare habens ipsam. Vnde cum abstractum sequatur concretum: duplex est etiam abstractum: vnu, quod abstrahit a subiecto, vt albedo: alterum, quod abstrahit a supposito, vt humanitas: inter quæ, hoc est discrimen: quod abstractum a subiecto dicitur abstractum non vltimum, quod ad huc induit rationem concreti: nam licet sit abstractum respectu subiecti; tamen respectu suppositorum est concretum: vt in albedine apparet: quæ, respectu huius, & illius albedinis concretum dicitur: at vero abstractum a supposito dicitur vltimate abstractum, nullo modo concretionem admittens: sed præcise dicit, quod in se est iuxta illud Auicennæ: equinitas est tantum ipsa: equinitas enim, quamvis concernat hanc, & illam equinitatem: non tamen hunc, & illum equum, qui sunt vera illius supposita, a quibus abstrahitur omnino.

Corol. 1.

Ex quo infertur: quod cum ratio generis, & cuiuslibet alterius vniuersalis, in concreto sumatur, nullatenus in vltimate abstractis fundari poterit: bene tamen in non vltimate abstractis: quare Logice loquendo; hæc non erit generis de specie: humanitas est animalitas: bene tamen ista: albedo est color.

Corol. 2.

Vltimate abstracta, ex vi significatorum ipsorum nominum, præcise, nulla præquisita reduplicatiõne, importare gradum de

terminum suæ naturæ, & nihil amplius: itaque dicuntur partem per modum partis tantum. Non vltimate vero abstracta, ex vi suæ significatiõnis, important idem, quod reliqua concretarum: que significant sua significata formalia per modum totius potentialis; continenturque sua inferiora: ac dicuntur totum quod est in illis: & ideo distinctio: em loquutionis reduplicatiuæ admittunt: Vnde animal absolute dicitur totum, quod est in homine: reduplicatiue autem sumptum dicitur præcise gradum sensitiuum: quare animal optime de suis inferioribus prædicari potest: non vero animalitas.

Secundo notandum: ad prædicationem essentialem vnius de alio tria requiri in eo; quod debet de alio prædicari. Primum; quod in subiecto contineatur: secundum; quod habeat modum significandi subiecti: atque adeo contineat totum, partim actum, & partim in consuso, quod subiectum continet actum: tertium tandem: quod per prædicatum, & subiectum, prout in prædicatione ponuntur, non exprimat ratio distinctiõnis ipsorum: nam sicut habitudo, seu identitas extremorum, est causa veritatis propositionis: sic distinctio est causa falsitatis.

Tertio notandum: prædicationes in primis intentionibus quadrupliciter fieri posse: vel si prædicetur concretum de concreto: vel abstractum de concreto: vel concretum de abstracto: & de his omnibus prædicationibus, & de earum veritate inquirimus: pro quibus notanda est quædam regula singularis, quæ sic se habet.

Omnis propositio affirmatiua vniuersalis semper est vera, quando extrema habent infinitatem formalem, aut permissiuam, aut quando concernunt tertium, cui sunt idem, aut cui vniuntur. Itaque omnis propositio mandi per hæc regulam cognosci poterit; an sit vera, vel falsa: si enim ambo, vel aliquod extremorum, habuerit infinitatem formalem, seu permissiuam: vel si extrema concernunt aliquod tertium, cui sunt idem, & cui vniuntur: tunc propositio est vera: secus, si aliquam harum conditionum non habuerint: vt in conclusionibus patet.

Dicendum primo. Omnis prædicatio concreti superioris de concreto inferiori est vniuersaliter vera: siue sit in substantiis, siue in accidentibus: vt homo est animal, substantia, & ens: albedo est color, qualitas, & ens. Hæc est communis, & patet: tum quia prædicatum continet in consuso, quidquid continet subiectum: tum etiam quia extrema concernunt indiuiduum, cui identifiçatur, v. g. homo, & animal concernunt sortem: & ideo hæc est vera homo est animal; quia quæ sunt eadem vni tertio, sunt eadem inter se: & in his rationibus fundantur illæ, quibus Doctor §. ad oppositum, hanc conclusionem probat.

Dicendum secundo. Omnis prædicatio abstracti de concreto: vel concreti de abstracto, in prædicatis limitatis, est vniuersaliter falsa: vnde omnes istæ in creatis sunt falsæ: homo est animalitas: humanitas est animal: humanitas est homo: homo est humanitas: album est color: albedo est alba, &c. Prima pars patet: tum quia prædicat

2. Not.

3. Not.

Regula notanda.

1. Conclus.

2. Conclus.

dicatum non continet, quidquid continet subiectum: sed præcise dicit partem, quæ de toto prædicari nequit: tum etiam propter diuersum modum significandi: ac tandem quia abstractum non concernit tertium, nec in casu conclusiõnis habet aliquam infinitatem.

Secunda pars, quamuis ab aliquibus concedatur, etiam conatur: tum quia extrema nõ sunt infinita, neque ambo concernunt tertium: tum etiam quia subiectum est vltimate abstractum includens hoc syncategoremata, per se primo: sed de vltimate abstracto, nihil formaliter, nisi idem de seipso, prædicatur: ergo concretum, inaxime si fuerit adiectiuum, de illo prædicari nequit.

3. Conclus.

Dicendum tertio, prædicatio abstracti de abstracto in prædicatis limitatis est omnino falsa: Vnde omnes istæ sunt falsæ: humanitas est animalitas: sineitas est irrationalitas: humanitas est risibilitas, &c. Patet per regulam: quia extrema, nec infinita sunt, nec tertium concernunt: & ideo manent præcise in suis rationibus formalibus: nec habent vnde identifcentur. Quare quæuis prædicatum videatur superius, respectu subiecti; quia tamen in abstracto dicit præcise partem, per modum partis; ideo nec genus denominari potest, nec in eo, vt sic, inferiora conueniunt: ac tandem de alio non potest formaliter prædicari.

4. Conclus.

Dicendum quarto, prædicatio superioris in finiti, de quocumque suo inferiori, est vniuersaliter vera: siue fiat in concreto, siue in abstracto: vnde omnes istæ sunt veræ: humanitas est ens: humanitas est entitas: rationale est ens, rationalitas est entitas, &c. Probatur: nam prædicatum, siue in concreto, siue in abstracto, sumatur, abstrahit a finitate, vel infinitate, & est verumque permissiuæ: ergo propter infinitatem permissiuam, quodcumque inferius sibi identificare potest: ac per consequens de quolibet formaliter, & non solum identice, prædicatur, per regulam assignatam.

Ad primū.

Ad argumenta ad primum, quod partes substantiæ sunt in duplici differentia: alia subiectiua, & quæ in recta linea collocantur: & de his optime prædicatur substantia prædicamentalis, tanquam superius de suis inferioribus: alia sunt partes entitatiuæ, & quæ reductiue tantum in prædicamento ponuntur: & de his substantia in recto non prædicatur, sed in obliquo tantum: & de his intelligit Doctor.

Ad secundū.

Ad secundum, nego minorem: nam animalitas non est superius ad humanitatem: sed præcise dicit partem illius: & pars, vt pars, sicut nec est genus, sed principium generis, sic nec de toto etiã abstracte sumpto prædicari potest.

Dices: per regulam Doct. in prima quæstione Proter. traditam; a concretis ad abstracta tenet consequentia: sed hæc est vera in concreto: homo est animal: ergo hæc etiam erit vera in abstracto: humanitas est animalitas: vel si non: vt factetur Doctor: falsa est regula sua.

Respondeo: quod regula prædicta intelligitur in concretis accidentiũ, vt ipse ait in solutione ad tertium, ad sua abstracta nõ vltimate: vt albũ est

coloratũ: ergo albedo est color: non vero intelligitur in concretis substantialibus: nec vniuersaliter de illis concretis, a quibus vltimate abstracta abstrahuntur: nisi extrema sint aliquo modo infinita: quare licet hæc sit vera: homo est animal: hæc tamen est falsa: humanitas est animalitas: quia extrema sunt vltimate abstracta: & talia de se inuicem non prædicatur: nisi saltem aliquod illorum sit aliquo modo infinitum.

ARTIC. II.

An genus prædicetur de specie, vt totum, vel vt pars?

Dupliciter genus totũ appellatur: actualiter, scilicet, & potentiale: primo modo dicitur habitudinẽ ad partes essentielles, seu ad prædicata quidditatiua ipsum actualiter constituentia: vt animal; ad viuens, & ad sensibile: secundo modo dicitur ordine ad species, de quibus prædicatur: & quia animal dupliciter respicit quamlibet speciem: vel quatenus est pars Metaphysica; ipsam, simul cum differentia, componens: vel quatenus habet rationem totius potentialis de qualibet indifferenter prædicabilis: ideo difficultas nõ procedit de genere in primo sensu: sed in secundo: quod est quærendum: an animal prædicetur de homine; vt est pars constitutiua illius: an, vt est quoddam totum potentiale de omnibus suis speciebus prædicabile.

Prima sententia, in vniuersum astruit genus, non vt totum, sed vt partem, de specie prædicari. Ceterum in quo sensu dicatur pars, non omnes conueniunt. Venetus, Caietanus, Oñs, & Sanchez in hoc capite affirmant ipsum prædicari, quatenus est pars actualis actualiter speciem componens: Doctor autem Cantherus asserit, ipsum prædicari, vt est pars potentialis potens speciem componere: nam, vt sic, in potentia continet differentias: & quia hic duplex explicandi modus parum distat: probatur primo, ex Arist. 1. Post. cap. 2. asserente: diffinitionis partes de diffinito prædicari: sed genus est pars diffinitionis, in quantum pars: quia in hac diffinitione: homo est animal: ly animal est forma subiecti: forma autem est pars: ergo genus, in quantum pars, de specie prædicatur.

Secundo: genus, vt pars, est in specie, & idem realiter cum illa, & aliquo modo ab illa distinctum; & commune omnibus speciebus: quia in illo, vt sic, conueniunt ergo, vt pars, de specie prædicatur, & est genus: quia, vt sic, continet differentias in potentia: sicut materia prima formas: atque adeo totam speciem; secundum vnã partem determinate, & secundum aliam in potentia.

Alij dupliciter considerant genus: vel adæquate, quatenus ordinem, & potentiam; dicitur ad plures species: & sic, est totum potentiale: vel inadæquate, quatenus dicit ordinem, & potentiam, ad vnã speciem: & vt sic (dicunt) est pars: & hoc secundo modo, de specie prædicari affirmant: quod sic probat primo,

1. Sententia

1. Argum.

Secundũ

Modus explicandi aliorum.

1. Arg.

Nulla actio inadæquate reducitur ad actum adæquate: sed prædicatio animalis de homine est actio inadæquate potentie prædicabilis: ergo ex vitalis prædicationis non reducitur adæquate ad actum, sed tantum in adæquate: ergo hæc potentia in ordine ad illam prædicationem, præcise loquendo, non se habet, ut potentia totalis, & adæquate: ergo ut partialis prædicatur: ergo ut pars.

Secundū.

Secundo, animal in tantum prædicatur de homine, in quantum habet potentiam præcisam ad essendum in illo, & præcise dicit respectum ad illum, sed ex vitalis potentie, & ordinis, præcise non est totum potentiale, sed pars: ergo non, ut totum potentiale, sed ut pars, prædicatur. Maior patet: quia nulla res accipit aliquem actum, nisi quatenus erat potens illum recipere: minor probatur: quia homo metaphysice sumptus continet animal, ut præcise ad ipsum terminatus, & continet aliquid aliud, scilicet, rationale: ergo homo metaphysice sumptus, respectu animalis, ut præcise dicentis ordinem ad ipsum, habet rationem totius: atque adeo animal, ut præcise dicit ordinem ad hominem, erit pars illius.

2. Senten. Doctoris. Not.

Opposita sententia est Doctoris, ut patet in textu solutione ad primum: pro qua notandum: quod genus, cum sit potentiale, & quasi materiale, sumitur à materiali, & potentiali, in specie: & differentia; est sit forma; & actus quidam: sumitur ab aliquo formali, & actuali, in specie: & ita unumquodque illorum sumitur ab aliqua parte speciei, & non ab ipsa tota specie: & ideo nullum eorum importat, aut dicit determinate, siue in suo intellectu determinato, & distincto, nisi partem speciei, quam significat: cæterum quia utrumque illorum est concretum, v. g. animal, & rationale: & omne concretum duo habet, scilicet, significatum & modum significandi (& idem dico de abstracto) & significatum concreti, & abstracti, sit omnino idem: modi autem significandi, videlicet, concreti, & abstracti, sint oppositi, & diuersi: ideo in animali, & rationali, oportet, non tantum considerare eorum significata, quæ solum important partem speciei: sed etiam modum significandi, qui est concretio: & quia talis modus concretus ex se non solum respiciat significatum, in quo fundatur: sed aliud, in quo tale significatum habet esse: siue informatiue, ut in concretis accidentalibus: siue per inclusionem, & quidditatiue, ut in concretis substantialibus: inde fit, ut non solum det intelligere primo sum significatum: sed secundario, & ex consequenti, dat intelligere illud, in quo suum significatum habet aliquo modo esse. Et ratio est: quia concretio est quædam relatio fundata, & subiecta in significato, & terminata ad illud, in quo tale significatum habet esse: & ideo necessario utrumque dat intelligere: & quia illud, in quo significatum habet esse, sit totum: ideo ex consequenti, dat intelligere totum: secus est de abstractione: nam cum significatum, in quo fundatur, non respiciat aliud: ideo non dat intelligere, nisi præcise ipsum significatum, per

modum partis: & hoc est, quod docet Doctor in solutione ad primum.

Ex quo inferitur primo, partes metaphysicas, imo & Physicas, abstracte consideratas, significare partes præcise per modum partis: si concreto vero sumptas significare partes per modum totius, non ex necessitate rei significata, sed ex modo significandi.

Inferitur secundo, aliud esse loqui de illo, quod prædicatur: & aliud de modo, sub quo prædicatur: nam id quod prædicatur, scilicet, significatum, semper manet idem, & inuariatum: solum enim quod variatur, est modus, sub quo prædicatur: respectu cuius variationis attendenda est veritas, vel falsitas propositionis: nam in diuinis: hæc est vera in concreto: Deus generat: & hæc est hæretica: Deitas generat: & tamen significatum est idem, & solum modus significandi, seu sub quo prædicatur, variatur.

Inferitur tertio: animal inter duo munera, quæ circa speciem exercet, videlicet, ipsam constituere, & de ipsa prædicari; primum exercere: quatenus pars est, & ut præcise dicit gradum naturæ sensitiuæ in abstracto per modum partis significatum secundum vero exercere quatenus habet modum totius, & in concreto sumitur: nam ut sic, licet determinate significet gradum naturæ sensitiuæ, propter modum significandi importat in confuso, & in determinate, omnia habentia tale gradum, quæ sunt eius species. Et hoc est, quod alijs verbis, docet Doctor super illa verba Boetij: genus in diffiniendo est pars, & in prædicando totum: ait enim: genus tam in diffiniendo, quam in prædicando, est pars: & totum: diuersi modo tamen: proprie scilicet, & appropriate: nam utrobique est pars proprie: quia partem proprie, & distincte exprimit appropriate verò est totum, ratione concretionis: quare secundum Doctorem genus, ut totum, appropriate tamen; diffinit, & prædicatur: ut pars autem proprie constituit speciem.

Dicendum primo, ratio partis, & totius, diuersa est in quolibet genere pro abstracto sumptis: hæc est Doct. & omnium suorum, quibus multi ex Thomistis adhærent, contra Sanchez cap. de genere, quæst. 9. affirmantem, partes metaphysicas, ut tales, habere rationem totius: ita ut essentielle sit parti metaphysicæ, ut pars metaphysica est, & speciem componens, esse quoddam totum: ut nequeat, quatenus pars est, intelligi sine ratione totius: contra quem probatur conclusio.

Primo: genus habet rationem partis metaphysicæ, quatenus præcise dicit gradum naturæ genericæ: sed ut sic, non habet rationem totius: ergo quatenus pars metaphysica est, non est totum. Consequenter patet: minor etiã constat: quia genus, ut totum debet continere quidquid species continet: maior probatur: quia ut habet rationem partis, siue ex natura rei, siue per intellectum, excludit omnino differentiam, ut sic, est determinabile per ipsam: ergo, ut sic, non potest de illa prædicari: quia, ut sic, tantum dicit gradum naturæ genericæ per modum partis consideratum.

Corol. 1.

Corol. 2.

Corol. 3.

1. Conclus.

Secun-

Secundo, genus habet rationem partis, quatenus componit: sed, ut sic, tantum dicit gradum naturæ genericæ, & non importat totum, quod species, in quo consistit ratio totius: ergo, in quantum pars, non est totum: probò minorem: nam animal intelligitur pars componens hominem, in quantum tribuit illi esse viuens sensibile: sed ad hoc non pertinet, quod per modum totius plura contineat: quia ex illa parte, à qua dicitur totum potentiale, non constituit speciem; nec est conditio ad hoc necessaria: ergo, ut pars, non habet rationem totius.

1. Argum. in opposit.

Sed contra arguit Sanchez: Primo quia partes Physicæ, & Metaphysicæ, sunt æquiuoce partes: quia Physicæ, secundum Philosophum, imo & secundum Doct. infra quæst. 1. de differentia Prope finem; sunt in minus quam summi totum: Metaphysicæ autem sunt in plus: quia continent potentialiter species: & ideo de illis prædicantur: ergo sicut pars Physica taliter est pars, quod non sit totum, pars Metaphysica taliter est pars, quod sit simul totum: ac per consequens ratio partis, & totius, in ea non distinguuntur.

Secundū.

Secundo, genus, in quantum genus, est pars diffinitionis: sed in quantum genus, est totum potentiale: ergo in quantum totum potentiale, est pars diffinitionis: maior patet: tum quia quælibet diffinitio constat ex genere, & differentia, tanquam ex partibus: tum etiam, quia animal in diffinitione hominis est commune homini, & alijs speciebus: ergo animal, in quantum pars, habet, ut sit commune, & potens de pluribus prædicari: ergo, qua ratione est pars, est etiã totum.

Ad primū.

Tertio, species, respectu generis, & differentie, dicitur totum actuale: ergo includit genus, tanquam partem potentialem: sed, ut pars potentialis, est quoddam totum: ergo eadem est ratio partis in genere, ac totius.

Ad secundū.

Ad primum, nego antecedens: nam conueniunt in hoc, quod neutra; ut pars est, continet, quidquid continet totum: & utraque componit speciem per modum determinabilis, & determinantis: differunt tamen in modo totius: nam partes Physicæ, cum sint inter se realiter distinctæ, & etiam à toto, non possunt rationem totius induere; nec de toto, ut in abstracto sumuntur, prædicari: tamen partes Metaphysicæ, cum non sint entitates inter se, & à toto, realiter distinctæ, sed à tota specie, in qua identificantur, secundum diuersos conceptus obiectiuos sumantur: inde fit; & rationem totius induere, & de specie in recto prædicari: & hoc est, quod ibi vult noster Doctor: ex quo tamen non licet inferre in parte Metaphysica eandem esse rationem partis, & totius.

Ad secundum, distinguo maiorem: genus, in quantum genus, & duplicatiue, est pars diffinitionis: nego maiorem: specificatiue; concedo: nam ut diximus Corolario tertio genus in diffinitione est pars propria, & appropriate totum: & sic specificatiue illud, quod est genus, & totum: est etiam pars: sed non sub eadem ratione.

Ad tertium, concedo totum Enthymema: & nego minorem: nam genus, ut est pars potentialis non dicitur totum, sed quatenus in concreto significat partem, connotando totum, in quo ipsa includitur: ut diximus.

Dicendum secundo: genus, in quantum pars præcise, siue actualis, siue habitualis, non prædicatur de specie: hæc est Doct. & suorum, quæ etiã tenent Suarez 1. tom. Metap. disp. 15. sect. 1. n. 16. Fosca 5. Metap. c. 28. q. 11. sect. 2. Soto cap. de genere; quæst. vnicâ Rubius, & Murcia; quæst. 5. & probatur primo, quod de alio prædicatur, debet esse superius, vel saltem æquale ad illud: sed genus, ut pars, nec est quid superius, nec par cum specie: quia plus includit species, quam genus, ut sic: ergo genus, ut pars, non prædicatur de specie.

Secundo, illa prædicatio est falsa, in qua prædicatum extrahit subiectum à proprio modo essendi: sed talis est prædicatio, in qua genus, significatum per modum partis, prædicatur: ergo maior patet: quia verum prædicatum non debet negare in actu exercito modum essendi sui subiecti: minor probatur: quia cum dicitur: homo est animalitas: non est sensus, quod homo sit habens animalitatem: aliter non ab omnibus negaretur ista: homo est animalitas: sed sensus est: quod homo in recto sit sua pars: quod ab omnibus tanquam falsum negatur: sed non ob aliud, nisi quia subiectum extrahitur à propria essendi ratione: ergo, &c. Quæ argumenta etiam de parte habituali, seu potentiali, vim habent: nam hæc etiam incompleta est, & ab actuali tantum differt: quod hæc est actu coniuncta: illa, in ordine ad actualè coniunctionem, concipitur.

Dicendum tertio, genus pro abstracto, animal, v. g. prædicatur de specie, tanquam superius de inferiori, ut totum quoddam est, seu sumptum per modum totius, ac in concreto: hæc est Doct. & omnium pro præcedente conclusione relatorum: & ex illa probatur: nam genus non potest aliter de specie prædicari, nisi per modum partis, aut per modum totius: sed non prædicatur de illa per modum partis, ex conclusione præcedente; ergo per modum totius.

Secundo probatur animal debet prædicari de suis speciebus, prædicatione superioris de inferiori, quatenus continet in confuso, quidquid species ipsæ continent: sed non continet illud, nisi in concreto sumptum; & per modum totius significatum: nam, ut sic, tantum est aptum fundare relationem generis: ergo, &c.

Tertio, pars nunquam prædicatur in recto de toto, nisi prout dat intelligere ipsum totum: sed animal hoc facit, prout in concreto, & per modum totius sumitur: nam, ut sic, connotat habens animalitatem: quod est totum, quod, ipsum tanquam pars præcise, componit: ergo quando prædicatur de specie per modum totius prædicatur.

Dicendum quarto, genus pro abstracto (& idem dico de differentia) quando speciem diffinit, de ipsa quæ prædicatur, sumitur, ut pars, & ut totum: ut pars proprie, seu proprie: idem enim sunt: ut totum vero appropriate: nunquam

Ad tertium.

2. Conclus.

3. Conclus.

4. Conclus.

L 2 tamen;

tamen, per modum partis, sed per modum totius, diffinit, & prædicatur: hæc est Doct. in explicatione authoritatis Boetij: & quod in diffiniendo, & prædicando, proprie dicat partem, patet: nam diffinit, & prædicatur, secundum id, quod primo, & distincte, significat ad distincte explicandam naturam diffinit: sed tale significatum est pars, in quantum pars: nam hoc significat animal proprie, & ex natura sua: ergo quando diffinit, & prædicatur, est pars, seu significat partem.

Quod etiam dicat totum appropriate; liquet: nam animal, licet ratione significati, dicat partem speciei, ratione modi significandi, ab extrinseco ex usu loquentium, dat intelligere totum: ergo appropriate ratione talis modi concreti; quando diffinit, & prædicatur; sumitur, ut totum.

Quod tandem semper diffiniat; & prædicetur, per modum totius, probatur: tum ex conclusione præcedente: tum etiam: quia diffinire, & prædicari de specie generis, fundatur in modo significandi: sed animal, ut significat partem, per modum partis, habet modum significandi in abstracto, & idem, quod animalitas importat, quæ de toto prædicari non potest: ut autem in concreto sumitur, & significat partem per modum totius, optime de specie prædicatur: ergo, licet significet partem, non per modum partis, sed per modum totius diffinit, & prædicatur. Aliud est enim genus prædicare partem, ut partem: aliud prædicare, partem per modum partis: primum affirmamus, & secundum negamus.

Ad primū pro primo modo explicandi opinionem.

Ad argumenta: ad primum patet, quid sit dicendum: partes enim diffinitionis prædicantur de diffinito, non per modum partis, sed per modum totius: & ita intelligendus est Arist. ut ex ipso 4. Topic. cap. 5. apparet: ubi inquit: corpus, si, ut pars est animalis, sumatur, non est illius genus.

Ad secundum.

Ad secundum dicendum: illud non sufficeret, nisi habeat modum totius: nam qualibet pars, etiam si in potentia aliam contineat, per modum partis significata, non dicitur aliquid continere: & idem dico de ratione convenientiæ: nam hæc conuenit animali, ut rationem totius induit.

Ad primū pro secundo modo.

Ad primum, pro secundo modo dico: oppositum probare: nam ideo prædicatur in adæquate de vna specie: quia adæquate respicit plures, de quibus aptum est prædicari: sed hoc est ratio superioris, & vniuersalis, ac cuiusdam totius potentialis.

Ad secundum.

Ad secundum, nego maiorem: nam animal prædicatur de homine, non ut præcise dicit ordinem ad illum, sed ut omnes suas respicit species: quia prædicatur, ut genus, cuius est plures species respicere: & cum hoc munus superioris exerceat; non nisi in concreto, & per modum totius significatum, illud exercere poterit: quia pars, per modum partis, non continet, quidquid continet totum, nec confuse importat totum, quod est in specie, quod ad rationem superioris requiritur.

Ad quartū Doct.

Ad argumenta, quæ conficit Doct. in textu, probantia genus non posse de specie prædicari,

respondetur: ad primum, & ad secundum cum suis replicis, patet ex dictis: ad tertium clara est responsio in littera: & de quo iam diximus art. præcedente in fine. Ad quartum, quod fundatur in loco, ab oppositis, qualia sunt ratio generis, & speciei, quæ ad inuicem non prædicantur: ac per consequens nec natura, in quibus fundantur, quales sunt homo, & animal: respondet Doct. notando: alios esse modos significandi: alios modos intelligendi: illi dicuntur secundæ intentiones Grammaticales fundatæ (si actiue sumatur) in vocibus significatiuis, seu dictionibus (& si passiuè) in rebus significatis: & diuiduntur in absolutas, & respectiuas: absolutæ sunt, quæ nihil faciunt ad congruitatem, vel incongruitatem, orationis, nec per ipsas partes orationis aliquo modo se respiciunt: cuius modi sunt: ratio simplicis, vel compositæ figuræ: ratio primitiua, vel derivatiua speciei: Respective dicuntur, quæ totaliter conferunt ad congruitatem, vel incongruitatem, orationis, & per quas orationis partes mutuo se respiciunt: cuius modi sunt genus, numerus, casus, persona, &c.

Nota.

Isti vero, scilicet, modi intelligendi, sunt secundæ intentiones Logicæ, sub quibus primæ intelliguntur: ut homo intelligitur sub ratione speciei; & animal sub ratione generis.

Inter quos significandi, & intelligendi modos triplex discrimen assignatur: primum: quod modi significandi sunt à dictione inseparabiles: siue enim dicas: lapis ascendit, vel descendit: vel lapis est nomen: vel species: semper lapis, & quod per ipsum significatur, est singularis numeri, generis masculini, ac tertie personæ: modi autem intelligendi sunt à dictione inseparabiles: nam quando dico: lapis est species, ly lapis supponit simpliciter: & concipitur sub hoc modo intelligendi, species: quando autem dico: lapis est durus, aut albus, iam supponit personaliter, & secundæ intentionis speciei recessit, & aduenit alia, videlicet relatio indiuidui, suppositi, &c.

Secundum discrimen est: quod modi significandi sunt principia formalia, sub quibus dictiones in oratione vniuntur: lapis enim, & ly albus, non vniuntur cum ly est, in oratione congrua, nisi utrumque esset singularis numeri, masculini generis, tertie personæ, ac nominatiui casus: modi autem intelligendi non sunt principia formalia, sub quibus significata formalia vniuntur: nam homo, & animal, optime vniiri possunt, quin generis, aut speciei, mentio fiat.

Tertium, denique est: quod repugnantia modorum significandi causat falsitatem orationis in significatis: quare circa idem significatum, hæc est falsa: albedo est alba: quia modus significandi in abstracto, & in concreto, qui etiam apud Grammaticum reperiuntur, sunt repugnantes: at vero repugnantia modorum intelligendi non obstat, ut propositio ex fundamentis coalescens sit vera; sicut patet in ista homo est animal.

His positis ait Doct. anteedens esse verum loquendo in fundamentis: ad probationem respondet esse veram de modis significandi: non vero de modis intelligendi: quia isti sunt

sunt à fundamentis separabiles. Vel dic hominè, & animal, tum ibi secundum suum esse quidditatum, non vero Logicè, & sub secundis intentionibus.

Ad quintum.

Ad quintum fundatum in loco à simili in affirmatiuis: & negatiuis, ab inferiori ad superius in eodem ordine arguendo: respondet negando similitudinem: quia committit fallaciam consequentis, à destructione antecedentis, arguendo ab inferiori ad superius in affirmatiuis, & negatiuis sic: homo est Animal: ergo homo non est animal: qui modus arguendi nunquam tenet in terminis, quorum vnus est superior, & alius inferior: quare quando in affirmatiuis arguitur ab inferiori ad superius sic: homo est: ergo animal est: in negatiuis debet argui conuerso: non animal est: ergo homo non est: ita ut sit proportio: sicut primum ad tertium: sic quartum ad secundum: qui modus in proposito non seruatur pro qua solutione vide Doctorem in 1. distinct. 21. & distinct. 36. ad secundum Henrici, & in 4. dist. 4. quæst. 3. & eius Expositores ibidem.

Nota.

Ad alia quatuor argumenta patet in textu, & ex illis, quæ supra quæst. 1. vniuers. per varios articulos docuimus: Solum pro solutione ad octauum aduerto: Doctorem non negare hanc propositionem: homo est animal: & similes: esse communem, & superioris de inferiori: ratione indifferentiæ negatiua, quam animal ex natura rei habet: quod enim negat, est; talem prædicationem non esse formaliter generis de specie: nam omnis secundæ intentio vniuersalitatis est primis intentionibus accidentalibus: quia hæc est denominatiua: animal est genus: quare licet in prædicatione signata quiddam prædicatur, prædicetur sub ratione alicuius vniuersalis: non tamen in prædicatione exercita: vnde in actuali prædicatione & cum hoc verbo, est; animal tanquam superius prædicatur: non vero genericitas est illi ratio sub qua prædicetur, nec sub illa tunc intelligitur: quare immerito Conimbricenses in præfationem Porphyrij quæst. 6. art. 4. oppositum Doctori imponunt: sed non mirum: quia non omnibus datum est Scoticam subtilitatem penetrare.

ARTIC. III.

Angenus sumatur à materia, & differentia à forma?

Aristoteles octauo Metaph. tex. 9. & 15. ait: genus esse, ut materiam, & potentiam: differentiam vero, ut formam, & actum: & idem probat 7. Metaph. tex. 43. quem immitans Porphyrius cap. de differentia dixit speciem constare ex genere, & differentia, ut ex materia & forma. Ex quibus locis

deducitur præsens Articulus: ut eorum veritas elucescat: & pro parte negatiua, sic hoc argumentum. Res creatæ spirituales constant verè & proprie ex genere, & ex differentia: & tamen non habent materiam, aut formam, ex quibus sumantur: ergo absolute falsum est dicere, genus sumi à materia, & differentiam à forma.

Argum.

Pro decisione Articuli notandū primo, quod aliter sumitur ratio generis, & differentia, in compositis Physicis, & aliter in compositis pure Metaphysicis; nam in compositis Physicis, seu materialibus, datur duplex fundamentum, proximum, videlicet, & remotum, ex quo genus, & differentia, sumantur: fundamentum proximum generis, in homine, v. g. est ipsamet natura humana, quatenus conceptu in adæquato; ut sentitua, concipitur, in quo cum Equo, & Leone, conuenit realiter. Quæ ratio sensibilibus prouenit illi ex anima rationali: hæc enim continet vnitivæ potentiam vegetandi, & sentiendi, quæ ab illa formaliter positivè distinguuntur, & ab anima, prout dat corpori abstracto à sua singularitate, esse vegetatiuum, & sensitiuum, sumitur ratio animalis, quod dicitur fundamentum proximum reale generis (loquimur enim de fundamento proximo reali, ut opponitur fundamento remoto reali, non vero de proximo, ut est animal in esse cognito) fundamentum remotum est materia prima in communi considerata, prout à sua abstrahit hæcceitate: quæ quidè materia, ut sic, licet ab anima rationali, etiam à sua singularitate abstracta, simul ut est vegetatiua, sensitiua, & rationalis, in formetur: nihilominus ordine quoddam recipit has perfectiones: & quia, ut recipit esse vegetatiuum, concipitur, ut in potentia ad esse sensitiuum: & ut esse sensitiuum recipit, concipitur, ut in potentia ad esse rationale: ideo cū in ordine ad vitam perfectionem semper, ut in potentia, intelligatur, ab ipsa materia, ut sic, in potentia, sumitur ratio generis remota.

1. Nota.

Et similiter de differentia dicatur: nam ipsa natura humana, si conceptu in adæquato concipitur, ut rationalis; ut sic est fundamentum reale proximum differentia: si autem consideretur anima, ut materiam primam in ultimo complemento constituit; fundamentum remotum differentia dicitur. In compositis autem mere Metaphysicis tantum dantur fundamenta proxima generis, & differentia, quæ sunt ipsæ naturæ secundum suas partiales realitates, ex quibus constant, conceptæ.

2. Nota.

Secundo notandū: quod materia dupliciter dicitur, lato, & stricto modo: stricte, est altera pars compositi Physici; quatenus cum forma vnum per se Physicum componit: late sumpta idem, quod potentiale, determinabile; seu per aliquem actum contrahibile, importat. Vnde omnis gradus realis per differentias contrahibilis; materia in hoc sensu appellatur.

3. Nota.

Dicendum primo; in naturis Physicis genus sumitur à materia prima in communi, ut à fundamento remoto: à tota vero natura in adæquate, ut potentiali concepta, tanquam à fundamento proximo: fundamentum autem remotum differentia est ipsa forma Physica

1. Conclusio.